

MAGISTER F. PETRVS
de Aragon clarissimo Theologorum
Collegio Salmanticensi
Salutem.



AD FAMILIAREM sibi Lucillum plures
epistolarum, vel magis sententiarū libros scri-
pturus Seneca, Ego, inquit, cupio in te omnia
transfundere, & in hoc gaudeo aliquid disce-
re, vt doceam: nec me vlla res delectabit, licet
eximia sit, & salutaris, quam mihi vni lecturus
sum. Si cum hac exceptione detur sapientia, vt
illam inclusam teneam, nec enunciā, reijciā.
Præclaram profecto vocem, & suo dignam authore, qui egregiam diui-
namque suppellectilem, sapientiam, scilicet, & doctrinam, quam impor-
tuno labore perdiderat, gaudet in alios ingenua liberalitate transfun-
dere. Mirarer verū tamen prudentis hominis non adeò modestum ser-
monem, & in medijs oraculis inane verbum, nisi hoc ipsum commune
& ingenitum vniuersæ naturæ ingenium esse experiremur omnes: vi-
demus enim qualis sit & fructicum, & cuiusuis plantulæ feracis condi-
tio, vt nisi ijs, quos ediderint vberes partus, nudari contigerit, in vindi-
ctam domini parentis statim sterilecant. Et ea quippe ratione (aiebat
Philosophus) pacta est nobiscum Fortuna, vt si quid egregium fuerit
elargita, nemo recondat sibi, sed omnes omnibus, etiam non exigenti-
bus partiamur. Dùm namque in nostros tantum vsus bona accepta con-
uertimus, fideiiores ipsa dispensatores exquirens, thesauros suos hinc
inde singulis momentis asportat: idque non ob incōstantiam, vt imme-
rito solemus queri, sed propter meliorem rerum prouidentiam. Ecce
igitur vnde sapientiæ & bonarum litterarū studiosus homo sibi soli di-
dicisse contentus non sit, sed pretiosas doctrinam margaritas com-
municaturus accipiat. Quantum vero ad nos attinet, non ob id lucu-
brationes has qualescunque nostras in lucem protulimus, quòd rati si-
mus, tantam illis inesse gloriam doctrinæ, vt si non alios habeant partici-
pices, possessorem suum turpis silentij reprehendant. Sed quæ duæ res
& huic me labori insudare, & elaborata hæc commentaria proferre co-
egerunt